



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa VIII. In Divum Hieronymum exornatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

PROSA OCTAVA.

In Divum Hieronymum exornatio.

Ingressurum Hieronymi laudes duplici difficultate ipsa laudabiliū amplitudine premit, & quòd laudare Hieronymū, & quòd breviter laudare fert animus, Auditores. Tanquam impar laudum materiæ laudandi facultas aut hæreat, necesse est, aut funditus concidat, nisi ubi adornanda Hieronymo laudatio sit, brevique maxima ejus magnitudo circumscribenda, idem fuerit, qui argumentum, Orator. Sed tantus vobis Orator contigerit quondam Paulle, & Hilarion, gemina illa, spectatissimaque umbrarum lumina, & miracula solitudinum; Hieronymo Orator contingere Hieronymus haud potuit, quando apud cæteros ille maximus (id nempe splendidioris tituli meritissimo Doctori suo reposuit Ecclesia) apud se unum penè nullus; vel hoc tamen maximus apud omnes, quòd apud se, sibiq; uni

uni nullus propemodum est visus. Agite jam maximo hoc in Doctore, in quo maxima prorsus eminent omnia, illud potissimum ut possumus, exponamus, quod illum potissimè maximum inter magnos fecit, ac super ipsa fastigia collocavit.

Vivebant à vetustioribus sæculis ad posteritatem usque deducta Sacrarum Scripturarum volumina, at quantis (Deus immortalis) vel imminuta detrimentis, vel quod omni detrimento deterius erat, mendis adulterata, quæ aut rudiores imprudenter insperferant, aut malignè sapientes fraudulentè intruferant fraudi, & exitio rudiorum. Diu sanè conqueri sacrosanctæ illæ paginæ videbantur, atque excutere, si qua via possent, tam peregrinum malum, quo illud efficiebatur miserrimum, ut vel instituentis homines Dei sermo cautum lectorem requireret; possetq; ipso in poculo salutis interitum parere promiscua sitis sine delectu. Certè cum divinarum litterarum codices quidam Divinæ Doctrinæ fontes saluberrimi & sint, & putentur, ubi in eos deveneris, perniciosius quiddam omni

veneno foret tibi ipsa veneni suspicio ; dum tamen externa pestis fontes illos inficeret , tanta ejus erat suspicionis utilitas , & necessitas , quanta nunc esset pernicies . Itaque si ad illos jam fontes nec sollicitam suspensionem , nec tristem metum afferimus ; si nativo sibi velamine inducto cæcutire iterum gestit fides in supernæ obsequium veritatis , ac per suam illam credulitatem omni carnis prudentia tutiorem securos latices haurit omnino secura ; deberi in primis Hieronymo facendum est . Si jam quod aurum est , apprehendimus , Hieronymus præmonstravit ; si rursus quod non est aurum reiicimus , præmonuit Hieronymus . Verùm ne per ambages videar demùm involvere , quod aperiendum planè erat ; & auri oomparatione fædare thesaurum illum , cui vel ipsum aurum si componitur , vix supra lutum emergit ; sincerè , & perspicuè dicam : debemus Hieronymo , quod Dei in Divinis litteris ad homines sermo , Dei sit tandem , non hominum . Magnum quiddam præstitere nobis , haud dubitem , veteres Patres , ac Vates , quos implente divinitus cælesti Spi-

Spiritu primos habuit buccinatores
Christiana religio : eos nempe primùm
instituit Deus, & nos in eis instituit ;
at si qua ratione illis adscribimus, quòd
magna ad nos transmiserunt ; adscri-
bendum prorsus Hieronymo, quod
eadem ipsi recepimus. Si quando salu-
taribus aquis utimur Cives, non mon-
tium dumtaxat scatebris habenda est
gratia, sed siphonibus, & canalibus,
qui dum affluentium lacunarum vitia,
aut intercurrentium unde unde humo-
rum limum, & labes prohibent, sua
velut custodia id præstant nobis, ut ip-
sæ ad nos aquæ meatibus non interrup-
tis veniant; & ne corruptæ, degeneres-
vè perveniant. Porro quàm magnus
extet Hieronymus, apertius adhuc fiet,
si vel quibuscum congressus, vel qui-
buscum collatus maximus sit, inspe-
ctabimus. Jovinianus, Vigilantius,
Elvidius, alique præcipites errorum
duces, erratici mendaciorum Magistri
sensere penitus, quantus Hieronymi
stylus foret, quantus & ipse suo in sty-
lo librando, vibrandoque Hierony-
mus; & quidem ad sui sanitatem ali-
quando sensissent, si quicumque adver-

sus veritatem mendaciis pugnant, convinci tam ipsi vellent, quam possunt. Feliciter tamen sibi vicit Hieronymus, quod qui & vinci poterant, & vinci volebant, devicit; id est, quorum simul & causa, & voluntas mala; futurus utique sibi victor, & illis; si vicisset volentes. Sed jaceant pœnales inter tenebras ineluctabili pondere eternitatis oppressi, una scilicet digni memoria, quæ perpetuæ detestationi sufficiat; jaceant, inquam, infelices Hieronymi hostes, ac veritatis, cum interim sapientissimus ille in publicis sapientiæ suæ monumentis triumphum sibi, nobis arma paraverit, triumphaturus nobiscum, quoties nos per illum victuri. Qualis ibi, & quàm valida dialecticæ subtilitatis acies, quantus eloquentiæ torrens, quàm beata doctrinarum fœcunditas mendacio veritatem opponunt; ut bis proinde stultissimi videantur sectarii, quibuscum agitur; & quod repugant veritati, & quod Hieronymo veritatem propugnante repugnant! Amant quippe errores suos eò tantùm quia volunt quicumque sic redarguente Hieronymo, errores amant;
sua-

suarumque tenent ipsi fallaciarum captiones, non iisdem tenentur. Maximum igitur veritatis, & fidei Magistrum meritò Hieronymum nuncupaveris.

Quòd si in humanis plerumque moris est magna dici velut in conspectu, & comparatione minorum, ut non tam sua quemque magnitudo faciat, quàm aliena magnum exilitas; videndum ad extremum est, quàm excellentium concursu virorum antecellat Hieronymus, feliciterque transfiliat in maximum. Supremi sapientiæ vertices fuere procul dubio Gregorius, Ambrosius, Augustinus: cum tamen tam prominentia culmina, præfulgentiaque suspicimus, adhuc maximi nomen constat Hieronymo, ut vel coram Gregorio, Ambrosio, Augustino sit ille maximus, & videatur. Equidem quiddam prope interminatum, & immensum meditari in eo cogor, quem, etiam dum animo occursant Gregorii, atque Ambrosii nomina, etiam dum totus memoriam occupat Augustinus; compellare adhuc maximum debeam. Quantum enim verò diceres illud sy-

D 5 dus,

dus, si quod vel apud meridianum solem non subluceret modò semiconspicuum, sed omnino conspicuum promicaret, sed radiaret, sed tanquam signum præ aliis omnibus insigne, & spectabile spectaretur! O mihi usquequaque maximum, dum sic maximus præcellit, ac præluceat, Hieronymum.

Jam verò si tantum lumen vel in umbra, atque adeo ex umbra manifestius cognoscere libeat, Hieronymum maximi nomine, nec merito minore nitescentem & cellula tamen delitescentem inspicite. Mirandum profectò, sed fortasse ut gloriosæ circa se admirationi ex hoc suo recessu excitandæ aditum ipse præcludat, exigua in sede illius Oppiduli se maximum contrahit, ubi summus ille super omnem magnitudinem Deus, cum in nostræ remedium superbiæ parvulus infans est factus, sese prius contraxerat. Mirabimur nihilominus & id ipsum Sanctissime Doctor, quòd in eo summum imitatus es maximus, ut ipsi, quem illuminas, mundo lateres; jamque hoc spectabilior es terrarum orbi universo, quia spectari in orbe terrarum detrectas;

tas ; & hoc magis emines evangelica
supra montem civitas , quia per evan-
gelicam humilitatem sub parvo domi-
cilio te contegis . Si vel penitissimum
quodcumque ingrediaris latibulum ;
dum hospes tantus ingrederis , ignobi-
lis esse sub latibulo ipse non potes , im-
mo nec latibulum ipsum potest , quod
nimirum ex suo potius hospite clare-
scat totum necesse est , quando hospi-
tem suum , & clarissimum accipit , &
tam effusè coruscantem , ut suis ille
quasi radiis omnem victurus sit um-
bram , ab umbra nulla vincendus . En
maximus Hierouymus , Auditores , tum
quia virtutum suarum lumine terras
implet , tum quia oppiduli se latebris
occulit , atque angustiis comprimit ; &
eo in lumine & his in latebris , atque
angustiis mihi semper maximus : quin
etiam si quid reliqui usquam est , quod
accedere maximo possit , ex his late-
bris , atque angustiis accessit Hierony-
mo , majoremque maximo fecit , vide-
ri maximum minimè voluisse , cum ef-
set : ut propterea verissimè in Hiero-
nymum nostrum conveniat quod sua
illa ad Trajanum suum gratiarum a-

atione magnificè olim dixerat, dum
 veritati minus, plusculum & gratiæ
 daret eloquentissimus Consul: *Cui ni-
 bil ad augendum fastigium superest, is uno
 modo crescere potest, si se ipse submitat se-
 curus magnitudinis suæ.*

PROSA NONA.

De Divo Augustino.

ORATIO.



Mnis Cælestium He-
 roum vita ad absolu-
 tissimam sanctitatis
 normam exacta id
 potissimum habet,
 ut tanquam nobile
 divinæ magnificentiæ
 theatrum quacumque demum ex par-
 te nobis ad aspectum obiicitur, maxima
 semper admiratione sui nos teneat.
 Veruntamen in augustissimis eorum
 pectoribus ex intima sanctioris discipli-
 næ cultura germinasse quosdam novi-
 mus quasi lectissimos flores virtutum,
 qui inter ceteros omnes elegantia, &
 dignitate præfulgent, & ex omnibus
 ma-